Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2895
Quelle:
Copyright:

discipulis suis &c. Utut opportuna sint, quae adfert Noster, de nexu tamen et ordine dicendorum minus laboravit.

II. *fol.* 25. et deinceps in charta, calamisque Sec. XV. *Dialogus Magistri Johannis de anglia.* Ita in calce, sed additum: *qui vocabatur Wicleph*, quod quidem minio inductum, non tamen ita obliteratum est, ut legi non possit. Odione nominis *Wicleffiani* id factum, an potius, ut Vulcanum evaderet Scriptum, ignoro. Est vero *Speculum militantis Ecclesiae* dialogo inter *Veritatem* et *Mendacium* elaboratum, cujus Exemplum jam pluries dedimus. Init: *Cum idemptitas sit mater fastidij* &c. Finit: *ut veritati fructuose consenciant in hac parte.*

III. *fol.* 50. *Augustinus de contemptu mundi ad clericos.* Sermonis hujus *Augustino* subpositi, et in edit. *Maur.* rejecti in *Append. T. VI. col.* 293. initium est: *Audite fratres karissimi salutiferam patris uestri doctrinam* &c. Eo *Wicleffistae* sententiam suam de Cleri Dominio fulciebant.

IV. *fol.* 53. p. 2. *Pastorale*, ut in calce, *Magistri Johannis Wicleph.* Initium: *Cum duplex deberet esse officium christiani, ad quod fideles diligenter attenderent* &c. Exemplum aliud jam adlatum vide in *Indice.*

V. *fol.* 75. *Tractatus de Compositione Hominis.* Initium: *Tria mouent me tractare materiam de compositione hominis ex suis qualitatiuis principijs cum alijs difficultatibus, que isti materie sunt annexe.* Tria haec sunt, Materiae hujus possibilitas et subtilitas digna Philosopho, dein ejus usus ad secretiores articulos fidei, demum ejus necessitas ad intelligendam materiam humani Dominii. Tractatio ipsa Autorem in Philosophia *Aristotelica* et lectione PP. versatissimum probat. De Animarum in homine Pluralitate citat Doctorem *Oxoniensem de Wilvarby* et *Pechamum Cantuariensem*, unde vicinius innotescit, et demum a *Baleo* et *Tannero* declaratur *Job. Wicleffus*, qui hac Dissertatione viam sibi sternere videtur ad ea, quae tardius adseruit; hic enim *Thomas* illi etiamnum *Sanctus* est. Ut in *Indice.*

VI. *fol.* 99. absque Titulo *Tractatus de V. prioribus Ecclesiae Sacramentis*, qui incipit: *Ad christi ihesu domini nostri laudem et honorem* &c. et jam relatus est *Cod.* CCCCXXIII. et CCCCXXIV. ubi notavi, extolli in eo *Jacobellum de Miza.*

VII. *fol.* 123. *Glossarium latinobohemicum* Vocum complurium in V. T. et in *Hieronymi* Praefationibus ad *Paulinum* et *Desiderium* &c. occurrentium, ordine Librorum et Capitum. Ita *Genesis* incipit: *Firmamentum* stwrzenie. *Arida* suchost. *Germinet* zplod. *Afferentem* magic &c.

VIII. *fol.* 160. Scriptum *Bohemicum* de Adoratione Corporis Christi in Eucharistia, quod ab *Augustini* loco incipit: *Kterak sie gest on gmiel oklanieni tielu boziemu* &c. et ad *Job. Wicleffi* Opera, praesertim *Sermonem* habitum